



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Praxis Cvræ Pastoralis Præcipve Circa Repentina & Generaliora**

**Possevino, Giovanni Battista Bernardino**

**Coloniæ Agrippinæ, 1645**

Nullus sine approbatione Confessiones audire potest, ne puerorum  
quidem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42220**

mus esse possit ( is verò in sincera vitæ emenda-  
tione positus est) neue in tanti ponderis nego-  
tio cum propriæ conscientiæ summo onere cõ-  
uenientem non adhibuisse diligentiam videan-  
tur (id quod summoperè timendum est multis,  
ne scilicet in grauem reprehensionem incide-  
nt eorum industria, cum de tanto numero con-  
fitentium, tam exiguam emendationem videa-  
mus in ijs, qui toties, & tam multis ab hinc an-  
nis hoc Sacramentum frequentarunt) præce-  
ptiones, & admonitiones nostras omnes iam  
pridem diuersis temporibus hac de re datas in  
vnum contulimus, atque alias quasdam ijs ad-  
iunximus, quas in hunc finem vtilis, & necessa-  
rias esse samus arbitrati. Quamobrem per vi-  
scera misericordiæ Domini Nostri IESV CHRI-  
STI eos exhortamur, vt quemadmodum eorum  
officium, & vocatio requirit, hac in causa, &  
negotio, quod ad animarum salutem vsque  
adeò pertinet, summa cum diligentia nostræ  
solicitudini cooperari velint, nostramque in-  
tentionem in eo positam, vt populus Christia-  
nus, quem Dominus nobis regendum tradidit,  
in viam salutis commodè dirigatur, promouere  
pro sua virili studeant.

*Nullus sine approbatione Confessiones audire  
potest, ne puerorum quidem.*

Nullus igitur neque sæcularis, neque regu-  
laris Sacerdos Pœnitentiæ Sacramentum aggre-  
di præsumat, si nõ approbationem, & licentiam  
antea nostrâ in scriptis habeat, vt ritè Concilium  
Tridentinum ordinauit; sin aliter fecerit, ex-  
cõmunicationis pœnam ipso facto, iuxta primi

Concilij nostri Prouincialis decretum, incurrisse se nouerit. & si sacrum Missæ officium postea celebret, irregularis erit.

Caueat autem sibi quisque hac in re, ne prætextu minoris ætatis, se abduci à recto patiat, quasi pueri sint, qui nondum ad usum rationis peruenerint, quorum audit confessiones: solet enim usu venire, ut in pueris etiam, quamuis in ætate sint adhuc tenera, peccata mortalia inueniantur. Ac uero nemo per speciem necessitatis alicuius se falli sinat, ac necessitatem interpretetur pro quauis ægritudine, etiam si grauis, & periculosa illa sit, cum ad proprium pastorem, aut alium confessarium à nobis approbatum recurri potuisset. Immò nullos huic se negotio pergat interponere, quàmuis à pastore eius, qui confiteri cupit, vel Vicarijs nostris consensum obtinuerit, nisi tales ij sunt, qui specialem à nobis acceperint potestatem, ut eam alteri concedere deinde possint.

Sacerdotes autem, qui confessiones audiendi licentiam à nobis obtinuerint, cum definita temporis, loci, certarumque personarum limitatione, videant, ne potestatis concessæ limites ullo modo excedant.

#### *Confessariorum Catalogus.*

Prima cum opportunitate regularium Superiores catalogum confessoriorum, quos ad hoc officium elegerint, quiue in hac ciuitate, vel diocesi nostra habitant, nobis exhibeant, quo eorum nomina, cognomina, & natale solum habeantur.

Sed